

1 Sunt item, quae appellantur alces. 2 Harum est consimilis capris figura et varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt mutilaeque sunt cornibus et crura sine nodis articulisque habent neque quietis causa procumbunt neque, si quo adflictae casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. 3 His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant atque ita paulum modo reclinatae quietem capiunt. 4 Quarum ex vestigiis cum est animadversum a venatoribus, quo se recipere consuerint, omnes eo loco aut ab radicibus subruunt aut accidunt arbores, tantum ut summa species earum stantium relinquatur. 5 Huc cum se consuetudine reclinaverunt, infirmas arbores pondere adfligunt atque una ipsae concidunt. 6 Tertium est genus eorum, qui uri appellantur. 7 Hi sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie et colore et figura tauri. 8 Magna vis eorum est et magna velocitas, neque homini neque ferae quam conspexerunt parcent. 9 Hos studiose foveis captos interficiunt. 10 Hoc se labore durant adulescentes atque hoc genere venationis exercent, et qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quae sint testimonio, magnam ferunt laudem. 11 Sed adsuescere ad homines et mansuefieri ne parvuli quidem excepti possunt. 12 Amplitudo cornuum et figura et species multum a nostrorum boum cornibus differt. 13 Haec studiose conquisita ab labris argento circumcludunt atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.